



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum liberalitas sit virtus? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

*De Liberalitate, in sex articulos diuisa.*

**D**einde considerandum est de liberalitate, & vitij oppositis, scilicet auaritia & prodigialitate.

- ¶ Circa liberalitatem autem queruntur sex.  
 ¶ Primo, utrum liberalitas sit virtus?  
 ¶ Secundo, quæ sit materia eius.  
 ¶ Tertio, de actu ipsius.  
 ¶ Quarto, utrum magis ad eum dare, quam accipere pertineat?  
 ¶ Quinto, utrum liberalitas sit pars iustitiæ?  
 ¶ Sexto, de comparatione eius ad alias virtutes.

## ARTIC. I.

*Utum liberalitas sit virtus?*

- 390  
 2. Cor. 8.  
 1e. 1. co. 1.  
 1m. Et 2.  
 et h. 1e. 8.  
 li. 4. c. 1.  
 ante me.  
 10. 5.  
 li. 1. c. 8.  
 ad f. 10. 5.  
 li. 4. c. 1.  
 paulo an  
 te med.  
 10m. 5.  
 li. 1. c. 30  
 circa pri  
 cip. 10. 1.
- A**d primum sic proceditur. Videtur, quod liberalitas non sit virtus. Nulla enim virtus contrariatur naturali inclinationi. Inclination autem naturalis est ad hoc, ut aliquis plus sibi quam alijs provideat: cuius contrarium pertinet ad liberalem: quia, ut Philosophus dicit in 4. Ethic. \* Liberalis est non respicere ad seipsum, ita quod sibi minora derelinquit. Ergo liberalitas non est virtus.
- ¶ 2. Præterea, Per diuitias homo suam vitam sustentat, & ad felicitatem diuitiæ, organicè deseruiunt, ut dicitur in 1. Ethic. \* Cùm ergo omnis virtus ordinetur ad felicitatem, videtur quod liberalis non sit virtuosus: de quo Philosophus \* dicit in 4. Ethic. quod non est acceptius pecuniæ, neque custoditius, sed emissius.
- ¶ 3. Præterea, Virtutes habent connexionem ad inuicem. Sed liberalitas non videtur connexa alijs virtutibus. Multi enim sunt virtuosus, qui non possunt esse liberales, quia non habent quod dent. Multi etiam liberaliter dant vel expendunt, qui tamen alias sunt vitiosi. Ergo liberalitas non est virtus.
- S**ED contra est, quod Ambrosius dicit \* in 1. de Offic. quod in euangelio multas disciplinas accipi-



mus iustæ liberalitatis. Sed in euangelio non docentur nisi ea, quæ ad virtutem pertinent. Ergo liberalitas est virtus.

RESPONDEO: dicendum, quod sicut Augustinus dicit \* in lib. de liber. arb. bene vti his quibus male vti possumus, pertinet ad virtutem. Possumus autem bene & male vti non solum his, quæ intra nos sunt; pura potentijs, & passionibus animæ: sed etiam his, quæ extra nos sunt, scilicet rebus huius mundi concessis nobis ad sustentationem vitæ. Et ideo cum bene vti his rebus pertineat ad liberalitatem, consequens est quod liberalitas virtus sit.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut \* Ambrosius, & Basilius dicunt, superabundantia diuitiarum datur aliquibus à Deo, ut meritum bonæ dispensationis acquirant. Pauca autem vni sufficiunt: & ideo liberalis plura laudabiliter in alios expendit, quam in seipsum. Debet autem homo semper magis sibi providere in spiritualibus bonis, in quibus vnusquisque sibi præcipuè subuenire potest. Et tamen in rebus temporalibus non pertinet ad liberalem, ut sic alijs intendat, quod omnino se & suos despiciat. Vnde Ambrosius dicit \* in 1. de Officijs, Est illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas.

Ad secundum dicendum, quod ad liberalem non pertinet sic diuitias emittere, ut non sibi remaneat vnde sustentetur, & vnde virtutis opera exequatur, quibus ad felicitatem peruenitur. Vnde Philosophus dicit \* in 4. Ethicor. quod liberalis non negliget propria, volens per hoc quibusdam sufficere. Et Ambrosius dicit † in lib. de Offic. quod Deus non vult simul effundi opes, sed dispensari. Nisi fortè ut Heliseus, qui boues suos occidit & pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica: quod pertinet ad statum perfectionis spiritualis vitæ, de quo infra dicitur \*. Est tamen sciendum, quod hoc ipsum quod est sua libera-

li. 2. c. 19.  
circa præ.  
cip. 19. 1.

Amb. in  
ser. 81. 19.  
3. Et Bas.  
in ser. ad  
diuites  
auaros.

li. 1. c. 30.  
circa præ.  
cip. 30. 1.

c. 1. ante  
me. 10. 5.  
li. 1. c. 30.  
circa me.  
diu. 10. 1.

q. 184. c.  
186. a. 3.  
præcipuè.  
liter



liter largiri, in quantum est actus virtutis, ad beatitudinem ordinatur.

Ad tertium dicendum, quod sicut Philosoph. dicit in 4. Ethic. \* illi qui consumunt multas res in intemperantijs, non sunt liberales, sed prodigi. Et similiter quicumque effundit quæ habet, propter quæcunque alia peccata. Vnde & Ambros. \* dicit in 1. de Offic. Si adiuues eum, qui possessiones aliorum eripere conatur, non probatur largitas. Nec illa perfecta est liberalitas, si iactantiæ causa magis quam misericordiæ largiaris. Et ideo illi qui carent alijs virtutibus, licet in aliqua mala opera multa expendant, non sunt liberales. Nihil etiam prohibet aliquos multa in bonos vsus expendere, & habitum liberalitatis non habere: sicut & aliarum virtutum opera faciunt homines, antequam habitum virtutis habeant, licet non eodem modo quo virtuosus, vt supra dictum est \*. Similiter etiam nihil prohibet aliquos virtuosos, licet sint pauperes, esse liberales. Vnde Philosophus dicit 4. Ethic. † Secundum substantiam, id est, facultatem diuitiarum, liberalitas dicitur. Non enim consistit in multitudine datorum, sed in dantis habitu. Et Ambros. dicit \* in 1. de Offic. quod affectus diuitem collationem, aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.

ARTIC. II.

*Verum liberalitas sit circa pecunias?*

591  
*Inf. ar. 3.*  
*Et 1. 2. q. 60. ar. 5.*  
*10. q. 13. a. 1. co. fi.*  
*Et 4. eth. co. 1. fin.*  
*\* c. 1. 10. 5.*  
*† c. 5. 6. 10. 5.*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod liberalitas non sit circa pecunias. Omnis enim virtus moralis est circa operationes, vel passiones. Esse autem circa operationes, est proprium iustitiæ, vt dicitur in 5. Ethic. \* Ergo cum liberalitas sit virtus moralis, videtur quod sit circa passiones, & non circa pecunias.

‡ 2. Preterea, Ad liberalem pertinet quarumcumque diuitiarum vsus. Sed diuitiæ naturales sunt veriores quam diuitiæ artificiales, quæ in pecunijs consistunt: vt patet per Philosophum † in 1. Politic.